

2. HISTOR. ET OBSERVAT.

titur, & coram mirantibus hominibus incrementum tantum suscipit, ut etiam quercum mediocrem aquet, id est, triginta circiter palmorum altitudinem, & femoris crassitatem, fibrisque in summitate decoretur. Qvodque magis mirandum, intra paucos dies, utpote quatuor, vel quinque, hanc molem attingit, adeo ut incrementum ejus etiam oculis percipi possit. Tale quid visum nuper apud Monspelienses, & alias urbes ejusdem Provinciarum, utque in Catauania; viderunt populi integri, viderunt amici mei, vidi ipse, anno 1647. & adhuc videri potest in horto D. Perier, Pharmacopei Monspeliensis: qvod miraculum non parvum ei lucrum attulit. Planta haec tandem marcescit nimio illo conatu, nec tamdiu latuerat, nisi ut collectis viribus illud ageret spiritus ejus architectonicus. Iisdem uti possem rationibus in hac observatione, quibus usus sum in observatione, de pueri subito ad ingentem molem aucto, tamen licet de hac retractatum integrum confidere decreverimus, quædam breviter attingam, si prius dixero, antea idem contigisse in urbe Piscenensi, in eadem provincia, & in conspectu Regis nostri, & Cardinalis Richelii, multorumque magnatum, ubi intra 36. horas ad 28. palmos excrevit, & ejus figuram delineandam curavit a pictore eximio Rex illustrissimus LUDOVICUS XIII. hanc